

comites erant Petri & Pauli, & ubi oportebat, ad fidelium ecclesiās, & ad earum confirmationem erant fideles tabellarij. Et contestatur illis ecclesijs Petrus, fidē C H R I S T I in qua stabant, ueram esse dei gratiam & donum desuper, quod etiam omne excellit donum, ne quid sibi tribuerent, sed totum gratiæ & misericordiæ C H R I S T I referrēt acceptum. Quas & obsecrat & hortatur quantum potest ut apostolus, & à deo ad uerbum ipsius fideliter annunciatum missus, ut in illa uera & admirabili dei gratia, doctrinæ euangelica stent. Et tandem epistolæ finem faciens, in salutatione & sua & ecclesiæ cui in persona præterat, & in sancta impreca tione suam terminat epistolam, sic inquiens:

38. Salutat uos ecclesia quæ est in Babylone collecta: & Marcus filius meus. Salu tate inuicem in osculo sancto. Gratia uobis omnibus qui estis in C H R I S T O I E S V. Amen. ] Per Babylonem, eum Romanum intelligere uolunt: sic eam in spiritu nuncupando, & conditionem illius tempestatis exprimendo, mundi huius habe nas, male aurigante Nerone. Siquidem Babylon confusionem sonat. Faxit deus, ut temporibus nostris C H R I S T U M uere agnoscendo, ipsa neq; nomen sibi re tineat, neq; nominis quicquam applaudat, sed sit noua Hierusalē, ciuitas sancta, latus aquilonis, ciuitas regis magni. Vbicunque sanè C H R I S T U S non regnat, ubi solus deus non colit, ubi fides & sp̄ritus fidei non agitat, Babylon est: ibi rex Babylonis lucifer, qui de cœlo cecidit, regnat. Marcus ille, est Marcus euangeli sta, est qui & creditur ex historiæ antiquitate euangelium Romæ scripsisse. Satis nobis est ut credamus scripsisse euangelium, ad id ipsum sp̄ritu eum impellente: ubi autem alioqui, deo sit relictum, quem appellat Petrus filium: quia (ut uerissimi le est) eum genuerat & acquisierat C H R I S T O. Apud cuius matrē tempore per sequotionis Herodis, ut Act. 12. scribitur, multi fidelium se recipiebant. Saluatio in osculo sancto, in osculo puro & spirituali, & nihil carnale habente, quod signifi cat unionē, coniunctionemq; in illibata fide, quod & indicium est unitatis & pa cis æternæ, quam & subinde eis omnibus imprecatur Petrus qui in Christo fide les sunt. Quales ad suam quidem gloriam, huius pacis & gatiæ participes nos fa ciat pater domini nostri I E S V C H R I S T I, cui est omnis potestas in cœlo & in terra, cui insuper cū filio eius domino nostro, & sp̄ritu sancto omnis honor, decus, imperium & gratiarum actio in secula seculorum. Amen.

COMMENTARII IN EPISTOLAM CANONICAM PETRI  
priorem ad honorem domini nostri Iesu Christi, finis.

## EPISTOLA BEATI PETTI APOSTOLI SECUNDA.

CAPVT PRIMVM.

ANNOT.



[ I M O N ] Petrus seruus &  
apostolus I E S V C H R I  
S T I, his qui coequalem no  
biscum sortiti sunt fidē in iu  
stitia dei nostri & saluatoris  
I E S V C H R I S T I: gratia uo  
bis & pax adimpleat in cognitione dei & Chri  
sti Iesu domini nostri. [ Quo modo omnia no

Simeon, σιμέων.

Sicut omnia nobis diuina potes  
tas eius, quæ ad uitam & pietas

K

Cap. I. IACOBI FABRI STAPVL. COM.

bis diuinæ uirtutis, suæ quæ ad uitam & pieta-  
tem donata sunt per cognitionem eius qui uo-  
cauit nos propria gloria & [uirtute, per quem] 1  
maxima et preciosa nobis promissa [donauit,]  
ut per [hoc] efficiamini diuinæ consortes natu-  
ræ, [fugientes] eius quæ in mundo est, concu-  
piscentiæ corruptionem. Vos autem [curā  
omnem subinferētes,] ministrare in fide uestra  
[uirtutem:] in uirtute autem [scientiam,] in sci-  
entia autem, [abstinentiam,] in abstinentia aut  
[patientiam,] in patientia autem [pietatem,] in  
pietate autem amore fraternitatis: in amore aut  
fraternitatis charitatē. Hæc enim si uobiscū  
assint, & [superent: nō uacuos,] nec sine fructu  
uos constituent in domini nostri Iesu Christi  
cognitione. Cui em̄ non [præsto sunt] hæc:  
cæcus est, & manu tentans, obliuionem accipi-  
ens purgationis ueterum suorum delictorum.  
Quapropter fratres, magis [satagite,] ut  
per bona opera, [certam] uestram uocationē  
& electionem faciatis. Hæc enim facientes, non  
[peccabitis] aliquando. Sic enim [abundāter]  
ministrabitur uobis introitus in æternū regnū  
domini & saluatoris nostri I E S V C H R I S T I.  
Propter quod [incipiam] uos semper com-  
monere de his, [& quidem] [scientes,] & con-  
firmatos uos in præsenti ueritate. Iustum autē  
arbitror quamdiu sum in hoc tabernaculo, su-  
scitare uos in commonitione: [certus] quod ue-  
lo x est depositio tabernaculi mei, secundum  
quod & dñs noster I E S V S C H R I S T V S sig-  
nificauit mihi. Dabo autem operā, & frequen-  
ter, habere uos post obitum meum ut horum  
omnium memoriam faciatis. Non enim  
[indoctas] fabulas sequuti, notam fecimus do-  
mini nostri I E S V C H R I S T I [uirtutē & præ-  
scientiam: sed speculatores] facti illius [magni-  
tudinis. Accipiens] enim à deo patre honorem  
& gloriam, uoce delapsa ad eum huiuscmodi  
à magnifica gloria; Hic est filius meus dilectus  
in quo mihi complacui, ipsum audite. Et hanc

ANNOT.

tem largita est, ὡς πάντα καὶ μήρα  
τῆς θείας δύναμεως αὐτῷ. τὰ  
πρός γάλην οὐχί εἰστειαρ μέδω  
γημένης. beneplacito, per  
quæ, ἀρε τῷ, δὲ ὅμη. donata  
sunt, μέδωρται. hæc, τούτωρ.  
ausigentes, ἀποφυγόντες,  
omni diligentia adhibita, αὐσου  
δὴ πᾶσαν προσενέγκαστες.  
τὴρ ἀρετὴ. cognitionē, γνῶ-  
σις. temperatia, ἐγκράτεα.  
ὑπομονή. εὐσέβεια.

abundant, non otiosos, πλεονάζο-  
οντα, οὐκ ἀγνούσι.

adsunt, πάρεστι.

operam date, πουδαράστε.  
firmam, βεβαία.

labemini, πάσχετε. diuiter,  
opulenter, πλαστιώς.

non omittam, non negligā, ἔμε-  
λησω. licet, καίπδ. scientia  
præditos, εἰδότας.

sciens, εἰδώς.

id est, ut possitis post obitum meū  
horum memoriam facere.

doctas, argutas, σεσοφισμένοις  
potestatem & præsentiam, siue  
aduentum, sed spectatores, δύνα-  
μις ἡ πρότασις, αλλα επόπαι.  
maiestatis. Adeptus, μεγαλεός  
τητος. λαβών.

uocem nos audiūimus de cœlo allatā, cum essemus  
**8** cum ipso in mōte sancto. Et habemus firmorem  
 propheticum sermonem, cui bene facitis atten-  
 tes quasi lucernæ lucenti in loco [ caliginoso ] do-  
 nec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus ue-  
**9** stris. Hoc primū intelligentes, quod omnis pro-  
 phetia scripturæ, propria interpretatione non fit.  
 Non enim uoluntate humana allata est aliquando  
 prophetia, sed spiritu sancto [ inspirati, ] loquuti sunt  
 sancti dei homines.

ANNOT.  
obscuro, αὐχυνεῖ.

impulsi, agitati, φέροντες  
μένοι.

## COMMENT. IN CAP. PRIMVM.



AEC secunda epistola ad omnes fideles siue ex gentibus siue ex Iudæis sing ad CHRISTI gratiam acciti, pertinere uidetur, quia hi omnes coæqualem cum apostolis adepti sunt fidem. Quos & sancte salutat, cōsimili fermè salute, qua et in prima eos, ad quos scribebat salutabat: scilicet multiplicationem gratiae & pacis in agnitione domini nostri IESU CHRISTI. Gratiae quidē, quæ superno indultu uocatis ad fidem conceditur: pacis uero, quæ est tranquillitatis animi suauissimum donum, et quæ sic mentē serenat, ut nullis mundi turbidibus, nullis maligni insultibus quatiantur. Hæc enim est pax CHRISTI, & tranquillitas in agnitione eius, id est, quæ prouenit ex cognitione eius per fidem. Pacem, inquit, meam do uobis: non quomodo mundus dat, ego do uobis, non turbetur cor uestrum neqz formidet. Sic igitur suam sanctam orditum Petrus salutationem:

Ioan.1.4.

Simon Petrus seruus & apostolus Iesu Christi, his qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem, in iustitia dei nostri, & saluatoris Iesu Christi, gratia uobis & pax adimpleat in cognitione dei & Iesu Christi domini nostri: quomodo omnia nobis diuinæ uirtutis suæ quæ ad uitam & pietatem, donata sunt per cognitionem eius, qui uocauit nos propria gloria & uirtute, per quem maxima & preciosa nobis promissa donauit, ut per hoc efficiamini diuinæ consortes naturæ, fugientes eius quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem.] Gratia inquit, uobis, & pax adimpleatur, id est, multiplicetur, & quidem sic uobis multiplicetur, quæadmodum omnia diuinæ potestatis eius quæ ad uitam, & uitam quidē sempiternā, & pietatem quæ est uerus dei cultus pertinet, nobis apostolis donata sunt per agnitionem eius qui uocauit nos per propriam gloriam, ut illi soli gloria & gratiarū actio deberi intelligatur, & per propriam ipsius uirtutem ac potentiam, nō enim nostræ potestatis est quod uocamur, per quæ propriam inqz gloriæ ac uirtutū preciosa & maxima promissa nobis donata sunt, remissio scilicet peccatorum, liberatio à diaboli potestate, timore mortis, inferno, deifiliatio, cœlestis hæreditas, uita æterna. Non autem propter nos solum apostolos, sed ut uos per hæc efficiamini diuinæ naturæ consortes, filij dei, & cœlestis regni hæredes, effugiendo munданæ concupiscentiæ corruptionem. Hæc continet sanctæ salutationis imprecatio, ut quæ omnes fideles qui æquam dignitate & sanctitate cum apostolis accepterunt fidem ad quos epistola peruenit, æqualem per omnia in agnitione Christi gratiam & pacem, & cætera omnia diuinæ regenerationis dona cum ipsis, etiam exoptat. Quod fieri non potest, nisi uiuant secundum uitam qua diuinæ generationis & naturæ effecti sunt cōsortes. Hæc est uita fidei & iustitiae sp̄ritus, quam doctrina parit euangelica. Ea quidem relicta quæ est secundum concupiscentiam

K 2

carnis & mundi, & quam carnis generatio præstat, non spíritus: & hæc est prima uita, quæ nō est uita, sed corruptela uitæ per ignominiam & peccatum primi Adæ. Illa secunda uita est, quæ uere est uita per gloriam & uirtutem supereminētem & omne malum euincit secundi Adæ. Prima uita, terrena est & corrupta, & nō uita; illa cœlestis & incorrupta, & uita æterna. Mox eos instruit quo pacto inuicē conuersari debent, cum sint in agnitione dei fideles, dicens:

2. " Vos autem curam omnem subinferentes, ministrare in fide uestra uirtutem, in uirtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem.] Non satis est fidelibus fugere incorruptionē concupiscentiæ mundanæ uitæ & ueteris Adæ: sed & ad hocipsum omniē curam diligentiamq; adhibere debent, ut in fide sua subministrent uirtutem, id est studiosam in operibus fidei & charitatis, animi promptitudinem, malitiæ aduersantem. Et in uirtute illa scientiam, non humanam, sed dei scientiam, id est, cognitionem quam uerbum dei & spíritus eius præstant. In hac autem temperatiam in sanctitate & sobrietate tam corporis quam mentis, ut hæc non plus sapere uelit quam oportet, cui & corporis temperatia in cibo, potu, ieunijs, uigilijs, & id genus cum discretione spíritus sit adiuncta. In hac temperatia & sobrietate: patientiam, id est aduersitatum tolerantiam, & patientem diuinarum promissionum expectationem. In hac expectatione, pietatem, integrum, purum, et inuiolatum dei cultum. In dei cultu, fraternum amorem, id est, erga fratres & fideles Christi dilectionem. In fraterno amore, charitatem, quæ latius fraterno amore se fundit; nam ad deum super omnia, & insuper in deo & propter deū ad omnes tum fideles tum infideles, notos & ignotos, amicos & inimicos. Et hæc ad deum charitas & proximum, quæ etiam se extendit ad inimicos, comes fidei, gratiæ & spíritus, consummatio omnium est. Qua sublata fraternus amor, nihil est; nulla pietas, sed uanitas dei cultus; frustra est patientia, & promissionum dei expectatio; obscura est scientia, & uirtus omnis inualida. Imò sine ea fides & spes nihil possunt, sed utraq; mortua. Charitas siquidem, omnium charismatum uita. Proinde subdit Petrus:

3. " Hæc enim si uobiscum adsint & superent, non uacuos, nec sine fructu uos constituant in domini nostri Iesu Christi cognitione.] Hæc, inquit, uniuersa quæ dicta sunt, charitate consummata, si uobis adsint & superent, id est, si ea feceritis, non excidetis aliquando à uita spíritus & iustitia fidei: nō relinquunt uos uacuos, & neq; sine fructu non modo honorum operum, sed neq; mercedis uestrorum laborum, in cognitione, id est, fide domini nostri Iesu Christi, quam solum præstat uerbum dei: nam fides est ex auditu, auditus autem per uerbum dei. Sed quis hic mercedis laborum, fructus? Vita æterna. Quæ uanitas & priuatio? Mors æterna. Et ex opposito, qui ad Christi cognitionem uenit, hæc non habens, & in his se nō exercens: qualis nam sit, detegit Petrus, dicens:

4. " Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est, & manu tentans, obliuionem accipiens purgationis ueterū suorum delictorum.] Cui qui christianum nomen sibi adsciscit, hæc prompta, & quasi ad manum dei beneficio & gratia non adsunt, cæcus est: sed ea cæcitate quæ est ignorantia scientiæ dei, qua nulla deterior, nihil discernens, sed manu palpans, in obliuionem adductus purgationis suorum ueterū delictorum, quæ in baptismo & filiorū dei regeneratione illi facta est, uirtute nudatus, nudatus sciètia dei, patientia, pietate, fraterna dilectione, & uniuersa charitate uacuus, & sine fructu operū spei & spíritus, & mercede uitæ æternæ. Quam obcausam magnifice hortatur fratres, id est fideles omnes Petrus, ut obnoxie student hæc sibi in cognitione dei, in fide sola saluante, sola iustificante & uiuificante

IESV CHRISTI, iugiter cognitione illa & fide per charitatē bona operando semper retinere, ut in promptu hæc sibi ad sint, & tanquam ad manū habeant, & ait:

Quapropter fratres magis satagite, ut per bona opera certam uestram uocationem & electionem faciatis. Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter ministrabitur uobis introitus in æternū regnum domini & salvatoris nostri Iesu Christi.] Magis satagite, id est, maiorem potioremq; curam adhibete, ut per bona opera uirtutis, scientiæ, temperantiæ, patientiæ, et reliquorum, in fide & cognitione Christi, certam et exploratā faciatis uestram uocationē & electionem, qua deus uos ineffabili clementia, misericordia & benignitate uos uocauit ad fidem, & elegit ad hæreditatem filiorum dei, & felicitatem æternam. Illa siquidem illarum gratiarū fructus sunt, & certissima diuinæ uocationis signa. Et certe qui hæc fide, quæ nō secus sine charitate, quām corpus sine anima quicq; potest, operantur, non peccant aliquando, neq; à uia regni cœlestis deflectentes aberrant unquam; nam sic ipsis à deo non à seipsis, ne quis efferratur extollaturue, abunde suppeditatur ingressus in æternum regnum quod est regnum cœleste, & gloria æterna. Suppeditur dico per hæc quæ supradicta sunt, quæ nobis in fide à deo donata sunt ad huīusmodi cœlestis regni ingressum necessaria. Et seipsum Petrus & illis & nobis præbet exemplum, ut quamdiu uiuimus in hoc mundo, non desistamus admonere, adhortari, impellere fratres nostros ad pietatē christianam, et si sciētia dei abundant, & confirmati sint in ueritate euangelica, dicēst.

Propter quod uos incipiam semper commonere, de his, & quidem scientes & confirmatos uos in præsentī ueritate. Iustum autē arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare uos in commonitione, certus quod uelox est depositio tabernaculi mei, secundum quod & dominus noster IESVS CHRISTVS signis faciuit mihi. Dabo autem operam & frequenter habere uos post obitum meū, ut horum omnium memoriam faciatis.] Incipiam, non negligam, non omittā uos de his quæ scilicet fidei sunt & cogitationis CHRISTI, cuiusmodi sunt, uirtus, scientia dei, temperantia, patientia, pietas, fraterna dilectio & charitas semper admovere, tametsi sciatis & confirmati sitis in præsentī ueritate, id est in CHRISTI & euangelij fide. Nec ab re se id facturum dicit, quia id iustum est cum sit apostolus ad id officij commissus, & quia huīusmodi iugis admonitio excitat, etiam scientes & confirmatos, ne fidei & charitatis feruor tepeſcat. Est enim charitas ut ignis, quæ ut ignis flatu, sic admonitione & sancta adhortatione fouet, qui afflatus quidam est sp̄ritus sancti. Id etiam faciebat tāto diligētius, quod nosset se diu in hoc mundo id non amplius facturum. Sciebat enim ex reuelatione domini nostri Iesu Christi, dum hanc scripsit epistolam, & sanctam admonitionis adhortationem, se non diu super terram uieturum. Vnde cognoscitur senex hanc scripsisse, de quo & dominus prædixerat: Cum autem senueris, alius te cinget, & ducet quò tu nō uis. Et solicite dabat operam Petrus ante sui ex hoc mundo egressum, ut frequēti monitione postquam deposuisset mortales corporis sui exuias, habereñt horum omnium post obitum suum memoriam. Et eo magis, quo doctrina hæc non est humana, sed diuina, nihil fabulosum aut arte humana inuentū continens, sed ea quæ aspectu & auditu dei accepta sunt, quæ & ipse uidit & audiuīt, dicenst.

Non enim indoctas fabulas sequuti, notam fecimus uobis domini nostri Iesu Christi uirtutem & præsentiam: sed speculatorē facti illius magnitudinis. Accipiens enim à deo patre honorem & gloriam, uoce delapsa ad eum huiuscemodi à magnifica gloria; Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audiote: & hanc uocē nos audiuīmus de cœlo allatā, cum essemus cum ipso in monte sancto.] Indoctas, στοφισμένοις, fallaces, deceptorias, & quæ iam olim mundū

deceperunt fabulas arbitrarías, ingenio et arte humana excogitatas, scripturarum & prophetarū expositiones nequaquam sequutus est Petrus, cum domini nostri Iesu Christi uirtutem, id est potentiam, & præsentiam, id est aduentum eis in carnem nunciauit: sed ipse conspector factus est maiestatis, & gloriose transfigurationis eius, cum nubes lucida obumbravit eum, & Iacobum, & Ioannem, & cum

Matth. 17. hæc uox à magnifica gloria patris prodijt: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite, & hoc testimonium honoris & gloriæ filio attulit. Et hanc ipse uocem, & collegæ eius audierunt è cœlo allatam, cum essent in monte sancto, seu Tabor, seu Libanus, seu quiuis mons alius fuerit, hac gloria Christi & præsentia magnificæ gloriæ patris, sanctificatus super omnes alios mōtes. Et nō modo ex apostolis qui uiderunt & audierunt, hæc CHRISTI potestas & aduentus nota esse debent: sed & ex sermone propheticō, qui admodum firmus & inconcussæ ueritatis est. Propter quod subdit Petrus:

8 " Et habemus firmiorem propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes  
" quasi lucernæ lucenti in loco caliginoso donec dies illucescat, ut lucifer oriatur in  
" cordibus uelstris.] Propheticum sermonem firmiorem dicit, id est, admodum fir-  
mum, non quod comparet ad ea quæ ex CHRISTO audierunt & uiderunt, qui-  
bus nihil certius, nihil firmius: siue firmiore posuit (Et habemus, inquit, firmio-  
rem propheticum sermonem) quod apostoli firmiorem habebant propheticū ser-  
monem dono scilicet CHRISTI, & per spiritum sanctū infusa intelligentia, quam  
illi qui arbitrarías, & ad suum sensum torquentes scripturas, sequebantur prophe-  
ticorum sermonum expositiones, quas Petrus σεσοφισμένους μύθους, id est, egre-  
gias & arte humana confictas fabulas uocat. In quo quidem sermone propheticō  
maxime secundum spíritum, non humanum sensum probat Petrus fideles exer-  
ceri, quemdiu in tenebris huius mundi uersantur. Nā mundus iste, si futurum re-  
spicimus, tanquā tenebrosus est, squallidus carcer est, in quo scripturæ diuinæ ut  
lucernæ quædam sunt, fideles ad ea quæ dei sunt & CHRISTI, illuminantes,  
quousq; alterius mundi dies illis eluescat, & lucifer alterius mundi solis æterni  
prænūctius, oriatur in animabus nostris quæ alterius seculi limen ingressæ, ad diē  
æternitatis properant. Propheticus etiam sermo in ueteri lege, tanquam lucerna  
in tenebroso squallidoq; loco lucet: siquidē lex uetus, umbra & figura est: cui qui  
nondum fidei gratiam adepti sunt aut non plenè, bene faciunt si attendant, quia  
mysteria Christi & fidei nostræ continent inuoluta, donec illis dies Christi, dies no-  
uæ legis illucescat, & lucifer, id est, euangelium ueri solis iustitiae qui CHRISTVS  
est, prænunciat, oriatur in cordibus eorum. Veruntamen in eiusmodi exercita-  
tione non est temere præsumendum, nō est suæ prudentiæ innitendum, suo sensu  
ingrediendum, quod subiungit Petrus, dicens:

9 " Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia scripturæ propria interpre-  
tatione non sit. Non enim uoluntate humana allata est aliquando prophetia, sed  
spiritu sancto inspirati, loquuti sunt sancti dei homines.] Declarat hic quo pa-  
cto habebant propheticum sermonem firmiorem, quam ij qui expositione huma-  
na illū se intelligere confidebant. Nam prophetia quam scriptura sacra continet,  
non sit peculiari humanæ mentis interpretatione, id est enunciatione, ut humanæ  
scripturæ: quandoquidem non uoluntate humana, non placito hominū adducta  
est unquam prophetia, sed spiritu sancto afflati, loquuti sunt sancti dei homines.  
Quare non est nostræ mentis, sed diuinæ eius sensum, intelligentiamq; præstare:  
nec unquam humano sensu capi potest: nisi diuina luce per spíritum dei qui au-  
tor est prophetiæ, illustretur. Ad omnem igitur diuinā scripturam, sensus noster  
humilietur, ut nō agat, sed agatur. Sic ergo mentes nostras diuinalux spíritus ir-  
radiet

radiet, ut sacrarum literarum, quemadmodum apostoli intelligentias capientes, in fide domini nostri IESU CHRISTI filii dei, uirtutem, scientiam, temperantiam, spiritualis gratiae dotes, quarum Petrus nos admonuit, cum consummante omnia charitate consequamur, ad laudem & gloriam patris aeterni, & filii eius, in quo solo illi complacet, & spiritus sancti, qui deus unus in magnifica & supereminenti gloria uiuit & regnat per immensa seculorum secula. Amen.

## CAPUT SECUNDUM.



VERUNT uero & pseudo-prophetae in populo, sicut et in uobis erunt magistri mendaces, qui introducent [sectas] perditionis, & eum qui emit eos [deum] negant, [superducentes sibi] celerem perditionem. Et multi sequentur eorum [luxurias,] per quos via ueritatis blasphemabitur, & in auaritia [fictis uerbis] de uobis negociabunt. Quibus iudicium iam olim non cessat, ] & perditio eorum non dormitat. Si enim deus angelis [peccantibus] non pepercit, sed [rudentibus inferni] detractos in tartarum tradidit — cruciandos in iudicium [reseruari:] & [originali] mundo non pepercit, sed octauum Noe iustitiae praemonem custodiuit, [diluuium] mundo impiorum [inducens,] & ciuitates Sodomorum & Gomorrorum in cinerem [redigens,] euersione damnauit, exemplum eorum qui impie acturi sunt ponens, & iustum Loth oppressum a nefandorum — iniuria ac [luxuriosa] conuersatione eripuit. Aspectu enim & auditu iustus erat, habitans apud eos — qui de die in diem animam iustam iniquis operibus [cruciabant.] Nouit [deus] pios de tentatione eripere; iniquos uero in die iudicii reseruare [cruciandos. Magis] autem eos qui post carnem in concupiscentia immunditiae ambulant, dominationemque contemnunt audaces, [sibi placentes, sectas non metuunt introducere, blasphemates.] Vbi angeli fortitudine & uirtute qui sint maiores, non portant aduersum se [execrabile] iudicium. Hi uero uelut irrationalia [pecora, naturaliter] in [captionem & in perniciem] in his quae ignorant

## ANNOT.

hereses, ἀἵρεσις.  
dominum, patrem familias, δέος  
σπότηρ. adducentes sibi ipsis,  
ἐπάγοντας έσωτοις.

pernicies, exitia, ταῦτα περιώλειαι.  
facilijs, compositis sermonibus,  
πλαστοῖς λόγοις.  
tardat, ἀργεῖ.  
qui peccauerūt ἀμαρτησάντων  
catenis caliginis, σαρῶν γόφρων.

reseruatos, τετκημένους.  
antiquo, αρχαῖς.

diluicio inducto, κατακλυσμόν  
ἐπαξεις.

redactas, τεφρῶσας.

in luxuria per, ἐν ασελγείᾳ.

cruciabat, εβασάνιζεν.

dominus, κύριος.  
qui cruciantur. Maxime, κολαζούμενοι. μάλιστα.

peruicaces, glorias non uerentur  
blasphemare, ἀθάδιοι, δέσμωτοι  
τρέμοσι οὐλασφημούτεοι.  
apud dominum, παρεκκυσίων.  
maledicū, οὐλασφημορ. anima  
lia suapte natura nata, ψῶα φυ  
σικὴ γεγενημένα. prædam ex  
corruptionem, εἰς ἀλωσιψήγη  
φθοράμ.

blasphemantes, in corruptione sua peribunt, [percipientes] mercedem iniustitiae. Voluptatem existimantes diei delicias, [coinquationis] & maculae, delicijs affluentibus, in [conuiujs suis luxuriantes uobiscum,] oculos habentes plenos [adulterij, incessabilis delicti, pellicientes] animas instabiles, cor exercitatū in [auaricia] habentes, maledictionis filij, dñe linquentes rectam uiam errauerunt, sequuti uiam Balaam [ex Bosor,] qui mercedem iniuitatis amauit, [correptionem] uero habuit suæ [uesaniæ.] Subiugale mutum animal, in hominis uoce [loquēs,] prohibuit prophetæ

**14** insipiētiam. Hi sunt fontes sine aqua, & nebulæ [turbanibus] exagitatae, quibus caligo te nebrarum reseruatur. Superbia enim uanitatis loquentes, pelliciunt in desiderijs carnis luxuriæ, eos qui paululū effugiunt, qui in errore [conuersati], libertatē illis promittentes, cum ipsi serui sint corruptionis. A quo enim quis superatus est, huius & [seruus est.] Si em refugientes coiquinationes mundi in cognitione dñi nostri & saluatoris I E S V C H R I S T I, his rursus implicati superātur, facta sunt eis [posteriora, deteriora prioribus.] Melius enim erat illis non [cognoscere] uiam iustitiae, quam post agnitionē, retrorsum conuerti ab eo quod illis traditū est sancto mandato. Conigit enim eis illud ueri proverbiū: Canis reuersus ad suum uomitum; et, Sus lota [in uolu tabro] lutī.

## COMMENT. IN CAP. SECUNDVM.



Aulo ante de ueris prophetis loquutus est Petrus apostolus, quorum qui doctrinam intelligētiamq; sequuntur, ueri doctores sunt: nunc de pseudoprophetis qui prophetæ non sunt, sed falsi prophetæ, ut & quod falso dicitur aurum, aut falsum aurum, non est aurum: quorum errorem sequentes, pseudodidascalī, & falsi & mendaces magistri dicuntur. Nec abs re sanè, cum magistri officium sit docere, ipsi uero non doceant, sed sub specie doctrinæ, multiplici errore inuoluant atq; seducant. Quod hunc in modum aperit Petrus:

**39** » Fuerunt uero & pseudoprophetæ in populo, sicut & in uobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum qui emit eos deum, negat, superdu-

## ANNOT.

reportantes, κομιούμενοι.

labes, σπῆλαι.

infallacijs suis coniuantes uobi scum, ψυταίς απάταις, ανθρώπων χούμενοι μηροί. adulteres & irrequietos à peccato, inescantes, μοιχαλίδος ισχήσκατα πανσους αμαρτίας, δελεόζοντες. pluris habēdi cupiditatibus, πλεονεξίαι.

filijs Bosor, τὸ βοσόρ. redargutionem, ἔλεγχον. iniquitatis, παρανομίας. • uociferatum, φθεγχάμενοι.

à procella, ἀπὸ λασταρος.

in aeternum, εἰς αἰώνα.

Tumida enim uanitatis loquuti, inescant. νερέρογνα γένη ματαλός. τύπος φθεγχάμενοι δελεάζοντες. petulantij eos qui uere auferunt illos, κατελγεῖσις. Τοὺς δὲ τῷ προφηγόντας τοὺς. conuersantur, ανατραφόμενοι. seruiti ad dictus est, δελούμελωται.

postrema deteriora primis, τὰ τέσσαρα καταχειρονατή πρώτων. cognouisse, ἐπεγνωκένοι.

ad uolutabrum, εἰς κύλισμα.

- » superducentes sibi celerem perditionē.] Prophetat de ihs Petrus & de tempore quod tunc imminebat, & de eo quod longe futurū erat. Et falsos prophetas in populo tum Hebraico, tum gentili olim fuisse, satis constat ex sacra historia. In populo quidem Hebraico, ut apud Hieremiam scriptum est: Apprehenderunt eum Hiere. 26. sacerdotes & prophetæ, & apud Zachariam: Et pseudoprophetas & sp̄iritū im- Zach. 13. mundū auferam de terra. In populo gentili fuerunt pseudoprophetæ idolorū, & hi fuerunt magistri errorū, qualis fuit Balaam filius Beor, ex Numerorū historia notus. Et magistros mendaces qui introduxerunt sectas perditionis, id est, dogmata contraria doctrinæ C H R I S T I, doctrinæ euangelicæ, prophetarum, & apostolorum, etiam statim post tempora Petri fuisse quamplurimos, cognoscent qui legent Ireneum, Eusebium, Epiphaniū, & si qui sunt similes, quales fuerunt Chērinthus, Menander, Marchion, qui deum ipsum qui illos precioso sanguine suo redemerat, negauerunt: sed hi celerem inuenerunt perditionem; siquidem ex hac uita quæ breuis est, cito ruerunt in interitum sempiternum. Et de ihs qui illos erroris magistros sequentur, consequenter prophetat, dicens:
- 11 » Et multi sequentur eorum luxurias, per quos uia ueritatis blasphemabitur, & in avaricia fictis uerbis de uobis negociabuntur, quibus iudicium iam olim non cessat, & perditio eorū nō dormitat.] Ut magistri ueritatis qui sp̄iritu dei aguntur, puri, sancti, & casti sunt, ueraces, euangelici, spirituales, nequaquam terrenis, sed solis coelestibus bonis inhiantes, solum quæstum existimantes pietatem, purumq; dei cultum, ita magistri erroris, sp̄iritu maligni aguntur, impuri sunt, immundi, luxurijs dediti, mendaces, euangelio contrarij, carnales, solis terrenis, contemptis coelestibus bonis, inhiantes, per quos uia ueritatis, id est doctrina C H R I S T I blasphematur, male audit, execratur, eam adulterantes & corruptentes, & in avaritia fictis uerbis, id est, hypocrisi in doctrina & uita quæstū sibi cōparates, & hoc pacto de omnibus negociates, quorū cōdemnatio iam olim, id est, ab æterno definita non tardat, & eorum perditio nō dormitat. Et huius rationem subdit Petrus, dicens:
- 12 » Si enim deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detrac-  
» ctos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reseruari, & originali mundo nō  
» pepercit, sed octauum Noë iustitiae præconem custodiuit, diluuium mundo im-  
» piorum inducens, & ciuitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redi-  
» gens euersione damnauit, exemplum eorum qui impie acturi sunt ponens, & ius-  
» tum Loth oppresum à nefandorum iniuria, ac luxuriosa conuersatione eripuit,  
» aspectu enim & auditu iustus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam  
» iusta iniquis operibus cruciabant. Nouit deus piōs de tentatione eripere, iniquos  
» uero in diem iudicij reseruare cruciandos.] Iudicium eorum non tardat, & per-  
» ditio non dormitat: quia si angelis qui peccauerant deus non pepercit, sed cate-  
» nis caliginis in tartarum præcipitatos tradidit in diem iudicij cruciados, seruatos  
» ad æternum supplicium, exemplum est, quod eorum ex æterno dei decreto iudi-  
» cium non cessat, & condemnationem non dormitat. Si originali, id est primæuo, &  
» à creatione recenti mundo, qui corruperat uiam suam ( quod cognoscitur ex Ge- Gen. 7.  
» nest) non pepercit, sed aquis diluuij ( solo Noë iusto præcone iustitiae, & familia  
» eius ereptis ) funditus deleuit: quomodo illi putent iudicium dei erga se cessare, &  
» condemnationem suam sopiri & dormitare? Et ex eadem historia ciuitatibus So-  
» domorū & Gomorrhæorum foedissimis uoluptatibus inquinatis nō pepercit, sed  
» igne & sulphure de cœlo pluente in fauillam & cinerem redegit, & solum Loth  
» iusta aspectu & auditu nefanda uidere abhorretem atq; audire, facto et uerbo, ab  
» impijs oppressum, ab infanda impiorū cōuersatione cum uxore & liberis eripuit.

L

Quis ergo non uidet iudicium illorum non cessaturū, nec condemnationis euētum in irritum abiturum? Et hanc ciuitatum illarum damnationem fecit deus exemplum posteris, ne cōsimili dei contemptu & uitæ impuritate peccare auderet. Quod autem iustos, Noë & Loth, & aliquot de familia eorū, deus propter se, & eximiam suam bonitatem, etsi ipsorum gratia fecisse uideretur, de illis periculis liberavit, hoc nobis certissimum & indubitabile est argumētum, quod deus nouit pios de periculorum quantumcunq; magnorum afflictionibus, ac secreto dei iudicio probationibus eripere, & contrā, impios perdere, & in diem iudicij reservare amplius cruciandos. Et nunc dæmones cruciantur, & impij cruciantur: sed multo acerbius post nouissimum diem, suprema damnationis eorum data sententia, cruciabuntur. Quid igitur facient impij qui C H R I S T O aduersantur, qui sectas introducunt contra dei euangelium, qui ad suum sensum ipsum peruerunt ad suam libidinem, ad ambitionem, ad lucrum, quæstum, & omnimodam auaritiā abutentes, uerbum dei blasphemant, uituperant, & execrantur, neq; deum, neq; terribile eius iudicium formidantes? At qui in hoc mundo iusti sunt, aspectum, auditum, & omnes sensus ut Loth iustus puros habent, non uarentes uidere aut audire, facta aut uerba deum & ueritatem eius offendentia, sine animi cruciatu, & animæ dolore. Non loquuntur, non agunt quicquam quod deum offendat, in gustu temperantes, in tactu sancti, se totos in deum reijcientes, animam habētes dei templum, non cogitantes nisi sancta & iusta: sunt fideles, sunt euangelicā doctrinā amplectentes, cæteras reijcientes. Impij autē contrā, omnes sensus impuros habent, aures detractationib; patentes, oculos impudicitij, sermones habent prophanos, gustus intemperantes, & tactus immundos: immūdæ uolucres, sues in omni uitiorum cœno se uolutantes, & totam animam habentes pollutam: dominicium malignorum: sunt infideles, sunt euangelicæ uitæ aduersantes, & alia uitæ instituta suscipientes. Et si deus antiquos peccatores perdidit nondum mundo per uerbum dei illuminato, eos reseruans amplius in extremo iudicio cruciādos, multo magis perdet ad maiores cruciatus reseruatos eos qui mundo iam per doctrinam ueritatis illuminato, tam perditis morib; nouas præter uerbum dei introuident, aut introduxerunt sectas, quod subdit Petrus, dicens:

- 15** Magis autem eos qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemq; contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas non metuunt introducere, blasphemantes, ubi angelī fortitudine & uirtute cum sint maiores, non portant aduersum se execrabilē iudicium. Hi uero uelut irrationalib; pecora, naturaliter in captionem & in perniciem in his quæ ignorant blasphemantes, in corruptione sua peribunt, percipientes mercedē iniustitiae: uoluptatem existimantes diei delicias, coinq; nationis & maculæ, delicijs affluentes, in conuiuijs suis luxuriantes uobiscum, oculos habentes plenos adulterij, & incessabilis delicti, pellicientes animas instabiles, cor exercitatum in auaricia habētes, maledictionis filij, derelinquentes rectam uiam errauerunt, sequuti uiam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniuitatis amauit, correptionem uero habuit suæ uesaniae. Subiugale mutant animal in hominis uoce loquens, prohibuit prophetæ insipiētiam. ] Ut magistri sp̄ritus dei, & eorum sequaces, post sp̄ritum in omni puritate & sanctimonia uitæ ambulant, sic magistri sp̄ritus erroris, & eorum sequaces, post carnem in omni inquinatione uitæ & concupiscentiarum immundicia ambulat. Illi uelut angelī, dominatorem omnium uenerantur & colunt. Hi contemnūt, & à pietate ueroq; cultu auertunt. Illi, humiles & timorati in doctrina euangelij manētes. Hi audaces, & in suis opinionib; pertinaces ac temerarij, non uerentes sectas & peruersa dogmata introducere blasphemantes, id est, deo et contra deum male sentientes

sentientes & loquentes, cum angeli qui & fortitudine & potestate sunt maiores, non portent aduersum se blasphemiae iudicium, cum deum timeat blasphemare. Quid igitur hi blasphemati facient? Illi, spiritu uiuentes laqueos dæmonū effugiūt, scientiam dei habent, benedicunt, iustitiae fidei & pietatis fructum recipient. Hi carne uiuētes, ueluti bruta animalia suapte natura in captionem & ad occisionem genita, quæ dei sunt ignorant blasphemantes, & in pernicie sua interibunt, mercedē iniustitiae & impietatis suæ reportantes. Illi carnem spiritu mortificant, uoluptatesq; eius diffugiunt. His contrà, uoluptates carnis, summas aestimant diuinæ delicias. Illi sanctitas sunt & puritas, in conuiujs temperantes, oculis casti, nunquam delinquentes, sermonibus sanis animas ad pietatem allicientes, cor cæcum avaritia non habentes, sed liberalitate & misericordia plenum. Contrà, hi sunt maculae & labes in conuiujs, delicijs & intemperantijs affluent, inter fides conuiuantes, oculos habent impudicos aliqua implentes adultera, peccare nō cessant, malis sermonibus & doctrinis, instabiles fide animas in perniciem impietatis pertrahunt, cor excæcatū avaricia habentes, illiberalitate & immisericordia plenum. Illi sunt benedictionis filij, sequentes viam CHRISTI, omnem errorem declinantes. Hi uero sunt maledictionis filij, qui relicto euangelio quæ est recte uiuendi via, sequuti sunt viam Balaam filij Bosor, qui (ut Numerorum prodit historia) mercedem iniquitatis amauit, & quem asina in modum hominis loquens coarguit, eiusq; insipientiam populo dei maledicere uolentis repressit. Tales sunt magistri erroris, qui relicta via spiritus, sequuntur viam carnis, & doctrina ueræ quæ est uerbum dei & euangelium pacis, post peregrinas abducuntur & inuentiones humanas. Et non solum tales, sed & insuper quales sint, amplius depingit Petrus, dicens:

Num. 22.

¶ 14. Hi sunt fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatae, quibus caligo tenebrarum reseruatur. Superba enim uanitatis loquentes, pelliciunt in desiderijs carnis luxuriae eos qui paululum effugiunt: qui in errore conuersantur, libertate illis promittentes, cum ipsis serui sint corruptionis. A quo enim quis superatus est, huīus & seruus est. Si enim refugientes coinquinationes mundi, in cognitione dominii nostri & saluatoris IESU CHRISTI his rursus implicati superātur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiae, quam post agnitionem, retrorsum conuerti ab eo quod illis traditū est sancto mandato. Contigit enim eis illud uerbi prouerbij: Canis reuersus ad suum ueritum, & : Sus lota in uolutabro lutī. ] Fontes hi sunt sine aqua, quia uidentur promittere doctrinam salutis & uitæ, quam nullā habēt, sed puræ feces sunt quas pro purissimo & euangelico fonte dant epotare. Nebulæ turbinibus exagitatae, imbre cœlestis doctrinæ pollicentur, sed non spiritu afflantur, uerum procella turbinis maligni propelluntur, suntq; hi caliginibus æternarum tenebrarum reseruati. Et merito quidem, quia dum sensu carnis suæ superba uanitatis suæ, id est uanæ suæ doctrinæ uerba loquuntur, pelliciunt & inescant in desiderijs huius doctrinæ & uanitatis, uoluptatibus carnis eos qui per uerbum dei illas uere effugerant. Inescant insuper & eos qui errore & infidelitate conuersantur, libertatem illis per traditiones suas promittentes, cum ipsis sint serui corruptionis, peccati & carnis. Nam à quo quis superatus est, huius seruituti addictus est, superati autem sunt à corruptione, peccato & carne. Et ipsi, & qui per eos seducti à doctrina spiritus ad carnem reciderunt, multo deteriores ihs sunt qui nunquam euangelij uerbum audiendo, deum nouerūt. Nam si in cognitione domini nostri & saluatoris IESU CHRISTI sordes & inquinamēta mundi, id est, peccata carnis aufugerūt, sacrūs undis abluti, & his rursus impliciti superantur, facta sunt illis postrema de-

teriora prioribus, siquidem satius fuisset illis, si uiam iustitiae, fidei & spiritus non nouissent, quam postea quam nouerunt, a sancto quod eis per sanctum euangeliū C H R I S T I traditum est, mandato, pedem reuocare, & retrosum cōuerti, & doctrinæ erroris intēdere. Verum evenit eis illud ueri adagij: Canis reuersus ad suū uomitum, & Sus lota ad uolutabrum luti. Ut enim nihil iuuat canem euomuisse, si uomitum suum resorbeat, & suem lotam a luto, si rursum in lutum se cōuoluat: sic & ijs qui in bona fidei confessione peccata sua euomuerunt, id est, illis dimissa sunt nihil illos iuuabit, si illa carnem sequendo resumant. Et quid tibi prodest te esse lotum a peccatis, a sordibus concupiscentiarum carnis in baptisme: si iterū h̄sdem te sordibus concupiscentiarū carnis inquinas? Nōnne perinde est ac suem lotam, in lutū reuoluī? Et certe qui fidei loti sunt in sanguine domini nostri I E S V C H R I S T I, qui omnium uerum baptismū, & ab omnibus peccatis lauacrum est, & id uiua fidei sentit, non relabuntur ad peccatum, spiritu C H R I S T I illos defendente: sp̄ritus C H R I S T I in illis uiuit, & caro moritur. O illius nobis felix uita, & huius mors necessaria: mortua caro, hostia est deo, uiua est abominatio. Quapropter uideamus ne canes immundi apud deum iudicemur, ne sues immundæ: sed qui preciosissimo sanguine domini nostri I E S V C H R I S T I mundati, & super niuem dealbati sumus, nunquam inquinemus uestem nuptiale, cum qua uocamus ad nuptias coelestis agni pro nobis immolati. Quod si errore humano, humanaq; infirmitate aliquando inquinata fuerit, ad lauacrum configiamus, id est, confitear C H R I S T O deo nostro contractas sordes qui nunquam non lauat ex corde ueniam petentes, plenamq; in ipso fidem fiduciamq; habentes, qui occurrit reuertentibus, qui requirent imponit humeris suis ous errantes, inquinationem omnē post resumptam gratiam fugientes. Ad quod nos adiuuet purificationis autor, uenientib; largitor C H R I S T U S I E S V S: cuius patri miserationū fonti, per ipsum & cum ipso sit in secula benedictio. Amen.

## C A P V T   T E R T I V M

## A N N O T .

15



A N C [ecce] uobis charissimi secundam scribo epistolam, in qua bus uestram excito in commonitione sincera mentem, ut memores sitis eorum quae[ prædicti] uerborum a sanctis prophetis, & [apostolorum uestrorum præceptorum] domini & saluatoris.

iam, ἡδη.

prædicta sunt, προεικαλύπτωσι.  
et ab apostolis uestris præcepti, ηγέρθη προσόλαβη  
καὶ ὑπέντολλος.

16

Hoc primum scientes quod uenient in nouissimis diebus — in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes: Vbi est promissio, — aut aduentus eius? Ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverāt ab initio [creaturæ.]

τῆς πατεροϊδίας.

17

Latet enim eos hoc uolentes, quod coeli erant prius, & terra, de aqua & per aquam consistens dei uerbo, [per quae] ille tunc mundus aqua inundatus periit. Coeli autem qui nunc sunt, & terra, eodem uerbo [repositi sunt, igni referuati]

creationis, creature extitit.

per quos scilicet cœlos a neps,  
d' i. & p.

deposita sunt, igni reservata.

reseruati] in die iudicij † perditionis impiorū hominum. Vnum uero hoc non lateat uos [charissimi, ] quia unus dies apud dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies unus. Nō tardat dominus promissionem suam, sicut quidam exspectant, sed [patienter agit propter uos, ] nolens aliquos perire, sed oēs ad poenitentiā [reuerti.]

- 18 Adueniet autem dies domini ut sur̄t, † in quo coeli [magno impetu] transient, elementa uero calore soluentur, terra aut̄ & quae in ipsa sunt, opera exurentur. Cum igitur hæc omnia dissoluenda sint, quales oportet uos esse in sanctis conuersationibus & pietatis, expectantes & [properantes in aduentum] diei [domini, per quem] cœli ardentes soluentur, et elementa ignis ardore [tabescunt:] Nouos uero cœlos, & nouam terram [& promissa] ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat. Propter quod charissimi hæc expectantes, satagite, immaculati & [inuiolati] ei inueniri in pace, & domini nostri IESU CHRISTI longanimitatem, salutem arbitramini, sicut & charissimus frater noster Paulus secundū datam sibi sapientiam scripsit uobis, sicut & in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficulta intellectu, quae indocti & instabiles deprauat, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem. Vos igitur [fratres, ] præscientes, custodite ne [insipientium errore traducti, ] excidatis à propria firmitate.

- 22 Crescite uero in gratia & in cognitione domini nostri & saluatoris IESU CHRISTI. Ipsi gloria & nunc, & in diem æternitatis. Amen

## COMMENT. IN CAP. TERTIUM.



T prima & hac secunda epistola eos ad quos scribit, & nos pereos maxime omnium admonet esse attentos ad scripturas prophetarū qui de fide nostra pronunciarunt, & qui similia ijs quae dixit dixerunt, & ad dicta sua & apostolorum, quae sunt mandata domini & saluatoris nostri, quae & plenissime cognoscuntur in euangelijs & apostolicis epistolis, & ad hos fines hanc secundā se scripsisse fateſ epistolā, dicēs:

15 Hanc ecce uobis charissimi secundam scribo epistolā, in quibus uestram extitio in commonitione synceram mentem, ut memores sitis eorū quae prædixi, uestrorum à sanctis prophetis, & apostolorum uestrorum, præceptorum domini &

† οὐκοῦ.

dilecti, ἀγαπητοί, &amp; infra.

† tarditatē, βραδύτητα.  
longanimus est ergo nos, μακροθυμεῖ εἰς ἡμᾶς,  
recipere, χωρήσαι.  
† in nocte, νὺν νυκτί.  
magnostridore, ξοιράδόρ.

accelerantes aduentum, σπεῦσον  
σοντας τὴν παρουσίαν,  
dei, ob quam, refert diem, θεῶν,  
διὰ Ήρ. liquecentes τίκτου;

iuxta promissum, κατὰ τὸ  
ἐπάγγελμα,  
incontaminati, irreprehensi-  
biles, ἀπολύτοι.

dilecti, ἀγαπητοί.  
prophanorum errore simul ab-  
duciti, αθέσμωρ πλάνη συνο-  
ταχθέντες.

Cap. III. IACOBI FABRI STAPVLENSIS COMMENT.

» saluatoris.] Hanc (inquit) ecce uobis dilecti secundam scribo epistolam, in quibus scilicet tum illa prima, tum hac secunda excito & extimulo per commonitionem uestram synceram, id est puram in fide, & integrum mentem, quibus nihil nisi dei substratum est, ut memores sitis eorum quae a sanctis prophetis praedicta sunt, & praeceptorum domini & saluatoris nostri ab apostolis uestris. Prophetae prae dixerunt CHRISTVM uenturum, et nouam legem, nouaque uitae instituta allaturum, quae apostoli post domini saluatoris nostri in mundo ad patrem ascensum, primi mundo intulerunt. Verum propheta nos adhuc præmunit aduersus infidelitatem impiorum, qui erunt in nouissimis temporibus, qui neque credent euangelio, neque promissionibus dei de supremo iudicio in fine mundi, de honorum in perpetuitate uitae, summa felicitate, & malorum in suppliciorum perennitate extrema calamitate. Super qua re, prælago spiritu ipsos admonet, & posteros, dicens:

16 » Hoc primū sciētes, quod uenient in nouissimis diebus in deceptione illusores, iuxta proprias cōcupiscētias ambulantes, dicētes: Vbi est promissio, aut aduentus eius? Ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturæ.]

Sapien. 2. Impiorum non creditorum uerbo dei & euangelio, neque uitam futuram quae bonis æterna erit ad gloriam, malis uero ad supplicium, sed animas cum corporibus interitus, mundumque uices suas semper ut nunc & olim agitaturum, erunt uera ba qualia fermè legimus in Sapientia, eorum qui dicebant: Exiguum & cum tardio est tempus uitae nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reuersus ab inferis; quia ex nihilo nati sumus, & post hæc erimus tanquam non fuerimus. Et subinde: Vino precioso & unguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis, coronemus nos rosis antequam marcescant: nullum præcūm sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Qui cum similia non recte cogitabunt, CHRISTI doctrinam abnegantes, addent: Vbi est promissio aduentus eius ad iudicium? ex qua enim die patres nostri dormierunt, id est, mortui sunt, sic omnia ab initio creaturæ permanet. Hi sunt qui simplicibus illudunt, pessimis uerbis probos mores corruptentes. Hi sunt, qui post suæ carnis concupiscentias, & cupiditatum illecebras ambulant. Et hi multa impietate & ignorantia, sed quam uolentes incurserunt, talia profundent, & noluerunt exemplo rerum præteritarum futura intelligere, ex typo ueritatem, ex umbra lucem, & ex diluculo diem, quod insinuat apostolus, dicens:

17 » Latet enim eos hoc uolentes, quod cœli erant prius, & terra de aqua, & per aquam consistens dei uerbo, per quae ille tunc mundus aqua inundatus periret. Cœli autem qui nunc sunt & terra, eodem uerbo depositi sunt, igni reseruati in diem iudicij & perditionis impiorum hominum.] Iis qui fuerunt temporibus Noë ante diluvium, ipse accepto uerbo dei, prædicebat interitum uniuersæ carnis, & seculi illius finem: qui uidentes arcam in dies fabricari, manebant increduli, & nihilominus quam prius intendebant uoluptatibus carnis ac corruptionibus, donec finis uniuersæ carnis iuxta uerbum domini aduenit, & innouatus est mundus primordialis deleto. Hi sunt figura eorum qui erunt in nouissimis diebus. Noë figura prophetarum & apostolorum: arca, ecclesia quam ipsis edificauerunt, finis illius seculi, finis mundi. Etsi nullus nisi in arca saluari potuit, & hoc per aquam, nullus profecto in fine mundi saluabitur nisi in ecclesia, & hoc per baptismum. Innouatio cœli & terræ sub Noë: figura nouorum cœlorum & nouæ terræ, post uniuersalem pyrosis & mundi conflagrationem. Sed hoc illi nouissimorum temporum, ad suam salutem dum fabricatur arca, id est, ecclesia intelligere nollent, & increduli manebunt. Quapropter illi extra ecclesiam, ut olim alij extra arcam, peribunt. Cœli, inquit, erant olim, id est, ab exordio mundi: & terra ex aqua, id est, extra aquam, & per

& per aquam, id est super aquam, uerbo dei consistens. Extra quidē aquam quid  
ni uerbo dei constat, dicente Mose: Dixit uero deus: Congregentur aquæ quæ Gen. I.  
sub cœlo sunt in locum unū, & appareat arida, & factum est ita. Et rursus Esdra:  
Tertia die, imperasti aquas congregari in septima parte terræ: sex uero partes sic= 4. Esdræ 6.  
casti & conseruasti, ut ex his sint coram te ministrantia seminata à deo & culta.  
Verbum enim tuum præcessit, & opus statim fiebat. Super aquam uero, dicente  
propheta: Qui firmauit terram super aquas. Sed qui hi cœli qui olim & à princi- Psal. 135.  
pio erant: Hi profecto cœli aérij erant, supra quos aquæ nubiū feruntur, de qui-  
bus dicitur: Benedicite aquæ omnes quæ super cœlos sunt domino. Et rursus: Dani. 3.  
Laudate eum cœli cœlorū, & aquæ quæ super cœlos sunt, laudet nomen domini. Psal. 148.  
Siquidē omne quod à terra & aqua in sublime oculis facile peruiū est & penetra-  
bile uisu, cœli dicūtur. Et pef hos cœlos tempore Noë inundatus mundus perijt,  
& cœlos illos & terram aquarum copia demersit. Sed peracto diluicio cœlos re-  
parauit, facile uisu in sublime peruios, & terrā ut uoluít discooperuit ab aquis, &  
perseuerant cœli peruijs oculis, & terra discooperta aquis, usq; ad hæc tempora,  
ueluti thesauri diuinitatis bonitatis repositi. Seruantur nihilominus & hi cœli & hæc  
terra, & cætera elementa igni conficienda in nouissimo die, qui dies iudicij est, &  
dies perditionis impiorum hominum, sicut scriptum est: Ignis ante ipsum præce- psal. 96.  
det, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Non ergo acquiescendū est impijs,  
illusoribus & incredulīs, dicentibus: Vbi est promissio aduētus eius? Ex quo em  
patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creaturæ, nam id falsum est, ut  
ostensum est, & ueritati contrarium. Nam & certo certius adueniet dominus, neq;  
semper mundus ut nunc est ab initio conditæ naturæ perseuerauit, cum tempore  
Noë noua terra & noui cœli sint repositi. Necq; perseuerabunt, sicut scriptum est:  
Vidi cœlū nouū, & terrā nouam, Prīmū enim cœlū, & prima terra abiit. Quare Apoc. 21.  
longa mora nihil nos ad hoc suspicandum debet mouere; quia quod nobis lōgum  
est, nihil est ante deū, ante quem mille anni tanquam dies hesterna quæ præterijt,  
Ideo nos admonet Petrus, dicens:

18. Vnum uero hoc non lateat uos charissimi, quia unus dies apud dominū, sicut  
mille anni, & mille anni sicut dies unus. Non tardat dominus promissionem suā,  
sicut quidam existimant, sed patienter agit propter uos, nolens aliquos perire, sed  
omnes ad poenitentiā reuerti. ] Quia uniuersum tempus septem diebus currit,  
& mille anni ante dominum ut dies unus: existimauerunt nonnulli septem mil-  
bus annorum mundi cursum finiendum, ex hoc loco coniecturam capientes. Ve-  
rum hæc coniectura humana, infirma & inualida est, quandoquidem solus deus  
nouit numerum electorum, qui cum cōpletus fuerit adueniet iudicium. Sicut re-  
spondit archangelus animabus iustorum apud Esdrā, sc̄iscitantibus quando ue-  
niret fructus areæ mercedis eārum, dicens: Quando fuerit impletus numerus se-  
mīnum in uobis, quoniam in statera ponderauit seculum, & mensura mensurauit  
tempora, & numero numerauit tempora, & non cōmóvit nec excitauit usq; dum  
impleatur prædicta mensura. Quod enim in longum differtur aduentus domini,  
hoc non est (ut existimant) quod omnia sic semper sint mansura, sed est longanimi-  
tatis dei immensa benignitas, quæ non uult ullos fidelium perire, sed omnes qui  
delinquunt ad mentē redire & resipiscere, quod est, ad poenitentiā reuerti. Qui  
si non redeunt, non id dei uoluntate fit (nam uita in uoluntate eius) nō longanimi- psal. 19.  
tatis eius bonitas in causa est, sed auersio, ingratitudo, & iniquitas nostra, quæ  
quo minus impleatur ille electorum numerus, & in longius protrahatur adimpre-  
tio promissionis dominici aduentus, in causa est. Diaboli diem illū timent, cognoscentes certo certius diem esse suæ condemnationis, & idcirco quantum possunt

Cap. III. IACOBI FABRI STAPVLENSIS COMMENT.

accelerationi eius obicem ponit. Nos uero miseratione dei electi, ne quaque illum  
timere debemus, sed optare: & totis uiribus secundum fidem & spiritum conuer-

sando, pie, sancte, & iuste uiuendo, cooperari ut cito impletum sit regnum CHRI-

Matth. 6. ST 1. pro quo nos docuit iugiter orare dicendo: Adueniat regnum tuum, quod esse  
non potest, nisi impleto numero electorum, quo impleto uenit repente dies domi-  
ni tanquam fur, & tunc cessabit omnis in deum offensa, quod summopere est op-  
tandum. Illis iacebit maligni potestas, & sola laus & gloria, & perennis obedien-  
tia in regno dei & domini nostri IESU CHRISTI manebut. Propter quod sub-  
iungit Petrus:

19 " Adueniet autem dies domini ut fur, in quo coeli magno impetu transient, ele-  
menta uero calore soluuntur; terra autem, & quae in ipsa sunt opera, exurentur. Cum  
igitur haec omnia dissoluenda sint: quales oportet uos esse in sanctis conuersatio-  
nibus & pietatibus, expectantes & properantes in aduentum diei domini, per que  
coeli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescant.] Veniet dies do-  
mini ut fur ex improviso, & cum minime expectabitur, ne quis frustra cōiecturis  
illum se agnoscere posse putet: si non potest quot saluandi sunt nosse, quotque sal-  
uati sunt, & quot & quando saluandi, temere illum diffinit. Et in illa die mundus,  
ne ullae fordes inquinationum diuinæ offensionis supersint, igne purgabitur: &  
dissoluentur elementa, terra, aqua, aer, quae diuinæ offensionis se præbuerunt im-  
pijs instrumenta. Quae cum ita esse cognoscimus, tum ex ihs quae hic apostolus di-  
uino spiritu ad nos scribit, tum ex alijs sanctorum eodem spiritu afflatorum scri-  
pturis, quales nos esse decet in sanctis conuersationibus, fide fortes, charitate fer-  
uentes, spiritu ambulantes, & omnimodis erga deum synceris cultibus utentes, cul-  
tui dei nullum alium miscentes cultum, alioqui syncerus purusque non esset, expe-  
ctantes, & non modo expectantes, sed & quantum in nobis est, accelerantes ad-  
uentum diei domini, in quo coeli ardentes soluentur, & elementa ardore tabescant.  
Certe omni studio sanctis conuersationibus, & omnimoda in deum pietate, ad hoc  
ipsum cooperari debemus. Nec ob hoc quod haec inferiora sensibiliaque soluentur,  
& elementa æstu laborantia liquecent, animis remittamur. Nam meliores no-  
bis coeli, & terra melior nulla etiam proportione promittuntur: terra uidelicet ui-  
tientium, & coeli in quibus iustitia habitat, in quibus semper fit dei uoluntas, necque  
iniquitas, neque peccatum regnat, neque pollutum quicquam intrat, neque regnare  
aut intrare potest, quod insinuat Petrus, dicens:

20 " Nouos uero coelos, & nouam terram, & promissa ipsius expectamus, in qui-  
bus iustitia habitat.] Cum nouorum coelorum, & terræ nouæ adimpta fuerit

Esaie 65. promissio: tunc in ueritate & non umbratiliter adimplebitur quod in Esaia scrip-  
tum est: Ecce enim ego creo coelos nouos, & terram nouam, & non erunt in me-  
moria priora, & non ascendent super cor, sed gaudebitis et exultabitis usque in sem-  
piternum in ihs quae ego creo: quia ego creo Hierusalem exultationem, et populū  
eius gaudium, & exultabo in Hierusalem, & gaudebo in populo meo, & non au-  
dietur in illa ultra uox fletus & uox clamoris. Et hi sunt coeli & terra noua, & haec

Apoc. 21. Hierusalē ciuitas sancta, de quibus in sacra apocalypseos uisione legitur: Et uidi  
coelum nouum & terram nouam. Primum enim coelum & prima terra abiit, &  
mare iam non est. Et ego Ioannes uidi sanctam ciuitatem Hierusalem nouam de-  
scendentem de coelo, à deo paratam, sicut sponsam ornata uiro suo. Et audiuī uo-  
cem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum dei cum hominibus, & ha-  
bitabit, & ipsi populi eius erunt, & ipse deus cum eis erit eorum deus. Et abster-  
get deus omnem lachrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus,  
neque clamor, neque dolor erit ultra, quae prima abierunt. Quae cum ita sint euētura,  
magnifice

- 21 " magnifice nos adhortatur Petrus, dicens: Propter quod charissimi hæc expe-  
 " ctantes: satagite immaculati & inuiolati ei inueniri in pace. Et domini nostri I E-  
 " S V C H R I S T I longanimitatem, salutem arbitramini: sicut et charissimus frater no-  
 " ster Paulus, secundum datam sibi sapientia scripsit uobis, sicut & in omnibus epि-  
 " stolis, loquens in eis de ijs, in quibus sunt quædam difficultia intellectu, quæ indo-  
 " citi & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditio-  
 " nem. ] Talem uitæ felicitatem expectantes, omnem operæ adhibere debemus,  
 fidem domini nostri I E S V C H R I S T I amplectentes, & euangelicam doctrinam  
 magno studio sequentes, ut immaculati & irreprehensibles in pace mentis & con-  
 scientiæ inueniamur: et arbitrari domini nostri I E S V C H R I S T I longanimitatē,  
 nostram salutem, & non promissionum dilationem aut frustrationē: sicut & Pau-  
 lus diuinam adeptus gratiam, de his in epistolis suis scriptum reliquit, dicens: An Rom. 2.  
 diuitias bonitatis eius & patientiæ, & longanimitatis contemnis: Ignoras quoniā  
 benignitas dei ad pœnitentiam te adducit? Verum in epistolis eius quædam sunt  
 difficultia intellectu, quia non humano sensu, sed solo spiritu dei capiuntur, quorum  
 sensum nonnulli indisciplinati & instabiles, id est animales, inconstantes suo sen-  
 sui, sensu carnis innitentes, sicut & alias diuinæ scripturas pervertunt, & ad prauā  
 sui carnalis sensus intelligentiam, ad suam quidem perditionem pertrahunt & de-  
 torquent. Ut uerbi causa cum scripsit: Vbi abundauit delictum, superabundauit  
 & gratia: detorquent ac si diceret facienda esse mala, ut maior abundet gratia, &  
 pleraq; alia hunc in modum in obliquum pertrahunt sensum, in suam & aliorum  
 perniciem. Neq; humana studia aliud præstare possunt. A quibus sensa scriptura-  
 rum aliter torquentibus quæ sit sensus spiritus, & quæ spirituali ædificationi  
 conueniat, summopere cauendum admonet Petrus, dicens:  
 Rom. 5.  
 22 " Vos igitur fratres præscientes, custodite ne insipientium errore traducti exci-  
 datis à propria firmitate. ] Præmoniti & præscij à spiritu C H R I S T I in apostolo  
 loquente, summopere cauere debemus ab ijs qui scripturæ ad sensum carnis, aut  
 quod deterius est, ad sensum afflatumq; Satanæ, ut in hæreticis, pervertunt intelligentiam, quales fuerunt Simon magus, Hermogenes, Philetus, Menander, Mar-  
 cion, & id genus multi, qui manifeste ab apostolis reprobati sunt hæretici, aut qui  
 eas trahunt ad sensum suum quis secundum hominem est, & non secundum deum  
 & spiritum. Nam ad intelligentiam diuinarum scripturarum opus est spiritu  
 doctore, qui secrete ad hoc ipsum afflatus mentes humilium & uere fidelium: quia  
 nisi spiritu dei ducamur, excidimus à soliditate fidei & uitæ, qua nobis in C H R I-  
 S T O, id est in C H R I S T I fide, eius imitatione nobis uiuendum est. Proinde fig-  
 menta & sensa carnis sequi nō debemus: sed C H R I S T I spiritum. Quod & Petrus  
 sancte nobis imprecatur eueniendum: ut in illa intelligentia spiritus & gratia in  
 dies proficiendo, firmiter in fide & inoffense curramus, dicens:  
 23 " Crescite uero in gratia & cognitione domini nostri & saluatoris Iesu Christi,  
 " Ipsi gloria & nunc & in diem æternitatis. Amen. ] Nullum melius incrementū,  
 quæ quod rore cœlesti, id est, doctrina euangeli quæ de cœlo est, concrescit, nō  
 corporale, sed spirituale. Longe enim præstat spirituale corporali. Hoc corru-  
 ptibili alimonia, sumit corruptibile incrementum; illud, immortalis gratia, & spi-  
 ritu dei, incorruptibile sumit augmentum: & hoc nobis optat apostolus Petrus,  
 cum augmentum gratiæ in illa eminenti scientia filij dei domini & saluatoris no-  
 stri I E S V C H R I S T I nobis optat, quæ est scientia fidei, sine qua nullus potest pla-  
 cere deo: quam scientiam, sola cõtinet sacra scriptura, & maxime omnium sancta  
 dei euangelia, scientiam non humanam, sed planè, & ( si ita dici licet) plus quæ  
 diuinam, solam ad uitam æternam necessariam, Patri igitur æterno, qui scientiarū

dominus est, & filio eius, sapientiae ab eo ante omnia secula genitae & spiritui sancto utriusque munerum distributori, uni deo honor, gloria, & gratiarum actio in seculorum secula. Amen.

COMMENTARIUS IN EPISTOLAM CANONICAM PER  
tri posteriorum ad dei gloriam & honorem, finis.

# EPISTOLA BEATI

IOANNIS APOSTOLI PRIMA.

CAPUT PRIMUM.

ANNOT.



1 V O D [fuit] ab initio, quod audiui-  
mus, quod uidimus oculis nostris,  
quod perspeximus, & manus no-  
stræ contrectauerunt de[uerbo] ui-  
tae, & uita manifestata est, & uidi-  
mus, & testamur, & annunciamus uobis uitam æter-  
nam quæ erat apud patrē, & apparuit nobis. Quod  
uidimus & audiuiimus annūciamus uobis, ut & uos  
societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit  
cum patre & cum filio eius IESU CHRISTO.

2 Et hæc scribimus uobis ut gaudeatis, & gau-  
dium uestrum sit plenū. ] Et hæc est annūciatio  
quam audiuiimus ab eo, & annūciamus uobis: quo-  
niam deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ. Si  
dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, &  
in tenebris ambulamus, mentimur, & ueritatem nō  
facimus. Si autem in luce ambulamus, sicut & ipse  
est in luce; societatem habemus adiuicem, & san-  
guis IESU CHRISTI filij eius emundat nos ab om-  
ni peccato. Si dixerimus quoniam peccatum nō  
habemus, [ ipsi nos] seducimus, & ueritas in nobis  
non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est &  
iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet  
nos ab omni[ iniquitate.] Si dixerimus quoniam  
non peccauimus, mendacem facimus eum, & [uer-  
bum] eius non est in nobis.

erat, ἦν.

τοῦ λόγου. Hoc uocabulo  
utitur in principio euange-  
lij sui.

sit impletum, πεπλήρω-  
μένον.

nos ipsis, οὐ τούστοις.

iniustitia, αδικία.  
δόλογος.



ANC Ioannis apostoli & euangelistæ epistolam ueteres scriptam  
ad Parthos ( quanquam ego potius uniuersaliter ad omnes ad finem  
usq[ue] mundi crediderim ) memoriae prodiderunt. Tam latè diffusum  
iam erat nomen domini nostri IESU CHRISTI, ut Parthi fideles  
CHRISTO existentes, gloriæ eius agnoscerent. Et nō modo Parthi,  
sed &